

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Dissertatio Physica De Terrae Concussionibus Anno MDCCXXXVIII. In Anglia Observatis

[Hamburg]: Koenig, [ca. 1741]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821240420>

Druck Freier  Zugang





~~XXXXIII~~ 72.

78. 1.

Oe-1002.

DISSERTATIO PHYSICA
DE
TERRAE
CONCVSSIONIBVS
ANNO MDCCXXXVIII.
IN ANGLIA OBSERVATIS

QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
SPECTATISSIONORVM
GYMNASIARCHARVM
IN
REGIO GYMNASIO ACADEMICO ALTONENSI
PRAESIDE

VIRO DOCTRINA ET EXPERIENTIA CLARO
D. GEORG. CHRIST. MATERNO
DE CILANO

PHILOS. NAT. ET MEDICINAE PROFESSORE COMITAT. PINNEN-
BERG. ET RANZOVIENSIS MEDICO PROVINCIALI ALTO-
NENSIVM POLIATRO ET COLLEGII ANATO-
MICI DIRECTORE

PATRONO AC PRAECEPTORE MAXIME COLENDO
DIE XIII. SEPT. ANNO MDCCXXXI.

IN AUDITORIO MAIORI
PVBLICE DEFENDET

IOACHIMVS PIETER
ALTONENSIS
S. THEOL. ET ART. LIB. CVLTOR.

OPERIS KOENIGIANIS.

DISSEMINATIO PHYSICA
ANNAEVS SENECA EPIST. XXXXV.

*Non me cuiquam mancipaui; nullius nomen
fero. Multum magnorum virorum iudicio
credo, aliquid & meo vindico. Nam illi
quoque non inventa, sed quaerenda nobis
reliquerunt: & invenissent forsitan neces-
saria, nisi & superflua quæsivissent.*





VIRO
EXCELLENTISSIMO
HEROI TOGATO
GEBHARDO VLRICO
DE PERCKENTIN
ORDINIS DANNEBROGICI EQVITI TORQVATO
SERENISS. REGIS DANIAE NORWAGIAE RELIQA
A CONSILIIS PROVINCIALIBVS
REGIONIS PINNENBERGENSIS PRAEFECTO REGIO
EMINENTISSIMO
IBIDEMQUE
SVPREMI PROVOCATIONVM TRIBVNALIS
ATQVE
SENATVS SACRI
PRAESIDI GRAVISSIMO
DOMINO IN HOHENPRITZ ET RELIQ.
PATRONO SVO INDVLGENTISSIMO
FELICITATIS PERPETVITATEM
ET LAETA ILLVSTRISSIMAE FAMILIAE INCREMENTA
IN AEVVM DV RATVRA
PRECATVR
SIMVLAC SE SVAQVE STVDIA
QVANTVLACVMQVE ILLA FVERINT
LEVIDENSEM HANC DISSERTATIONEM DEDICANDO
EA QVA DECET
SVBMISSI ANIMI REVERENTIA
DE MELIORI COMMENDAT
IOACHIMVS PIETER
ALTONENSIS.

ΠΡΟΛΟΓΟΣ.



lures omnino sunt humani generis hostes; ac
hos inter truculentissimi habentur, dira fames;
diuturnum bellum ac sæviens pestilentia.
Vnum quodque horum malorum ad vitam
peccundandam, & res publicas euertendas aptum natum
est. Miramur autem, posse rebus etiam vnde pacati,
messe vberima collecta, & aura salubri vbius loco-
rum spirante, hostem nihilo minus ex terræ visceribus
erumpere clandestinum, qui reliquis atrocitate haud ce-
dat, imo reliquos superare a non paucis credatur. Is
vero hostis terræ *tremor* est, qui saepe in ominosas *vi-
brationes* & horrendas regionum *concussiones* abit, quæ
fertilissimo solo subuerso, annonæ subsidiis sublatis &
collapsis denique domiciliorum substructionibus, tametsi
vita supersit, nil nisi famem & grauium morborum ge-
nera oppido plurima post se relinquunt, a quibus mortali-
um vitam immensis terroribus prius labefactatam,
misere tandem deleri nouimus. *Romani* iccirco ut ma-
iora mala tantam calamitatem consecutra, quantocytus
auerterent, aduocata concione, per vrbis prætorem sup-
plica-

plicationes in triduum decretas, indicere sunt soliti. Semper enim magna portendere & futuri mali prænuncium esse credebant eiusmodi terræ motum. *Vid. ALEX. ab ALEXANDRO dier. genial. lib. V. cap. XXVII. ROSINI antiq. rom. lib. IIII. cap. XI.* Græcorum contra antiquissima fuit consuetudo, vt, terram cum motibus sentirent quassatam, vasa conclamarent ac ingruenti malo se subducerent; veluti ex *CÆLII RHODIGINI lect. antiq. lib. I. cap. XVIII.* condiscimus. Non ergo in vltimis reputandum est beneficiis, quod regiones boream spectantes, motus terræ, qui viuentibus internectionem, ædificiis autem ruinam minitantur, tam violentos raro sentiant, rarius vero ingens accipient damnum. Ob quam rem securi etiam degunt septemtrionis incolæ; & cum hostem sub terra latentem ob minus frequentes eruptiones vix norint: terrore percelluntur tanto veherentiori, quanto celerius inexpectatum alioquin calamitatis genus iis superuenire assolet. Exemplum se nobis sifit magna BRITANNIA: cuius regio *Eboracensis* in tractu occidentali anno MDCCXXXVIII die XVII Ianuarii tanto impetu concussa est, vt, non modo in lectulis suis decumbentes incolæ ex illis excutientur, sed montes pariter ac vallum oppida sub immani strepitu & ventorum magitu contremiserent; immo in ipsis quoque fluminibus aliquid obseruaretur violenti. Neque deferbuit iste impetus prius, quam *Edinburgi* in SCOTIA quoque die XXIII. Ianuarii per procellosæ tempestatis violentiam maximis ædificiis, vastissimo opere exstructis vim intulisset, ruinæ proximam,

& templorum aliarumque ædium fastigia destructa deie-
cisset penitus. Sæuiente isthac tempestate, ab illis, qui
vitæ suæ consulentes, cellas aliaque loca subterranea pe-
tere coacti sunt, verus terræ tremor obseruatus est, qui
fugam quidem suadere at elabendi tamen securitatem
denegare videbatur. Non iugis experientiae hoc fuit
phænomenon: quare incolas perterrefactos in vltimam
omnino rapuit admirationem. Quid eodem anno
Smirnæ & Belgradi acciderit, fusius in præsenti com-
memorare haud expedit. Hac enim occasione id solum
nobis sumsimus negotii, vt demonstremus terræ mo-
tuum in *Anglia* causulas, quæ ad hoc vsque tempus obti-
nuerunt. Vulgaribus siquidem philosophiæ naturalis
doctoribus per quam solenne est, omnes violentos sub
terra motus vnice ab incendiis *nitri*, *sulphuris* & *bitu-
minis* derivare: cum tamen ne circa *Vesuuium* & *Aetnam*
id semper fieri solere, observationes comprobent. E re
igitur fuit scientiæ naturalis in hoc argumento paulo
versari curatius, & vltra tritam horum motuum com-
parisonem cum pulueris pyrii violenta explosione ascen-
dere, quoniam ii, qui nuperrime hanc rem commentati
sunt in hoc simili, securi adquieuerunt. Conf. *IOH.
IAC. SCHEVCHZERI Physica Part. II. Cap.
XXVII.* *C. WOLFFII Physica dogmat. Cap. X.
S. 383.*

DISSER-

DISSE^TRAT^IO PHYSICA
DE
CAVSSIS TERRÆ MOTVVM
IN ANGLIA
DIE XVII. JANVARII ANNO MDCCXXXVIII.
OBSERVATORVM.

§. I.

Mutare est rei mutabilia variare, seu rem citra essentiæ mutationem in eum redigere statum, qui a pristino differt.

§. II.

Quæcumque in rerum natura observantur mutationes, eæ omnes fiunt motu. (*per princip. phys.*)

§. III.

Motus est vis motricis omnibus corporibus inditæ, ceu caußæ efficientis secundariæ *actio*, quæ corpora ad status mutationem perpetuo conatu solicitat, & sublatis impedimentis huncce conatum in actum sensibus plerumque manifestum deducit: cuius consequens & effectus luculentus, *loci* est *mutatio*, qua

VIII

qua corpus in motu constitutum, alium atque
alium successiue locum occupat.

§. III.

Terræ continentis tremor, regionum violentæ concussions, littorum conuulsiones & quæ sunt alia, varia nimis ac funesta mutationum genera, quæ in superficie telluris & profundius obseruantur, sunt status pristini mutationis, (§. I.) cuius cauſa efficiens est motus. (§. II. III.)

§. V.

Motus cum violentia in terram firmam agens, ab ipsa terra deriuari nequit. Illud enim quod patitur, vno eodemque tempore cum manifesta loci mutatione agere nequit. Nam impossibile est, idem simul esse & non esse.

§. VI.

Cum loci mutatio sit *effectus*, (§. III.) terræ quoque tremores, concussions, hiatus, insularum subuersiones, recens congestarum emersiones, fluminum in consueto alias cursu muta-

VIII

mutationes, exsiccationes aliaque id genus plura, erunt effectus: effectus vero est principium cognoscendi caussam. Inquirendum itaque erit in caussam horum effectuum.

§. VII.

Aetio violenta in terram firmam, *agens* supponit violentum. Qualis enim caussa, talis ferme semper est effectus. Eiusmodi vero agens, cum tempore terrae motus saeuire primum in terrae visceribus occipiat, ac tandem extrorsum agendo, magno impetu terram quatiat eiusque superficiem perrumpat; extra hanc superficiem quæri non debet, hinc intra terram ut exsistat, necesse est.

§. VIII.

Terra non ubiuis solida, sed ingentibus passim specubus & amplis cuniculis vtrimeque cauer nosis in longum porrectis varieque diuisis referta est. (*per Experient.*)

σχολιον.

Terram contextu suo non totam esse solidam, sed multis in locis cauam, hoc norunt illi, quibus cauer nas subterraneas cominus spectare atque curiosius perreptare datum fuit. Hinc experientia teste,

B

X

teste, adposite SENECA *Quæst. nat. lib. III. cap. XVI.* Crede infra, quidquid vides supra. Sunt & illic specus vasti, sunt ingentes recessus & spatia suspensis hinc inde montibus laxa. Dantur autem causa duplicitis generis. Nam alia effodit

A. HVMANA INDVSTRIA, ad quæ referuntur

Primo loco, metallorum, lithanthracum & salis gemmæ fodinæ; in quibus montes maximos excisos cum aliquo horrore videas, & quorum latebras altissimas nemo, nisi plurium dierum itinere fatigatus, sequi valet.

Secundo, alii sub terra meatus, quibus belli tempore ex vna ciuitate ad aliam, annonæ armorumque congerendorum caussa ibatur. Vbi principem sibi locum ex antiquis vindicat illud CLAVDII IMP. opus, quo vndecim annorum interuallo triginta hominum millibus sine intermissione operantibus montem ad lacum fucinum, inenarrabili impendio perfodit & cauum XXXX milliarium reliquit. Vid. SVETONIVS in *Tib. Claud. Cap. XX.* PLINIVS in *hist. nat. lib. XXXVI cap. XV.* Eiusdem census sunt celebres illæ viæ in agro Cumano per fossas ductæ, quas COCCEIVS cognomento AVCTVS, insignis olim architectus effecit, quibus a PTEOLIS ad NEAPOLIN vsque proficiisci licuit. Nec non alia via subterranea, quæ a BAIIIS itidem NEAPOLIN dicit; quam SENECA cryptam neapolitanam adpellitat, per quam aliquando iter faciens a ioue prius largiter perfusus, de puluerum quæritur molestiis in *Epist. LVII. a ceromate*, inquit, (i. e. a multa pluuiâ) hæc exceptit in crypta neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius. Conf. STRABO lib. V. f. m. 375. & qui curatius longe describit PAVL. MERVLA in *Cosmograph. Part. II. lib. IIII. cap. XIII.* p. m. 758. Nec minus celebris est ille Nemausiensis cuniculus, qui ARELATVM vsque protenditur: Romanorum opus antiquum & ruinosum quidem, sed visu oppido dignum. Dantur insuper alii specus immensæ amplitudinis, quibus fuse re-censendis haud immorabitur; qualis est Kiouensis, Miramontinus, in Gallia, Melitenis, Traiectinus ad Mosam, & celebratisimus olim Dionysii Tyranni specus propter Syracusas.

Ter-

Tertio, hic pariter commemorandi sunt antiquorum aquæductus, immensis pæne Romanorum sumtibus structi, quibus ITALIA pars, maxime circa urbem, subfossa & mirum in modum excauata est. Instar multorum esse potest via APPIA & huius aquæductus in agro lucullano, via prænestina; Ductus eius habet longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus fuit ad portam trigeminam, passuum vndecim millium centum nonaginta: subterraneo riuo passuum vndecim millium centum triginta; substructione & supra terram opere arcuato proxime ad portam Capenam passuum XXXX. Præterimus aquas Iulias, Claudias, Martias, Augustas, & quæcumque antiquitus famam indeptæ sunt. Otium quippe nobis fecit SEXT. IVL. FRONTINVS in suis de aquæductibus urbis Romæ commentariis duobus libris comprehensis; quo lectorem ablegamus.

Quarto, Cryptæ sepulcrales, quas recentiori catacombarum nomine eoque barbaro insignire, solenne est. Harum Romæ in primis, tam intra muros, quam extra illos tantus est numerus, ut PAVL. ARINGHVS Romanus integrum opus illarum descriptione, in Roma, vt vocat, subterranea impleuerit. Quo breuitatis caussa remittimus. Conferri etiam meretur libellus singularis ONVPHRII PANVINII de ritu sepeliendi mortuos apud vet. christianos & de eorumdem coemeteriis. Cryptas autem sepulcrales nemo veluti cellas aut conclauiia maiora cogitet, utpote quæ verius laxæ urbis plateas, versus omnes plagas excurrentes sifunt, ac omnium, qui visendi caussa in illas descendunt, animis, amplitudinis, ac vastitatis admirationem iniiciunt maximam.

B. ALIA FORMAVIT IPSA NATVRA.

Horum nonnulla inueniuntur amplissima, quæ in longitudinem pæne incredibilem excurrunt & in plures recessus æque vastos utrimque diuehuntur. Cuius generis est antrum Cilicie CORYCIVM, singulari, ut POMP. MELA lib. I. cap. XII. scribit, ingenio, ac supra quam ut describi facile posse, eximium; quod nemoro so orbe medium amplectitur inanitatem, virens introrsus lucis pendentibus, in quo teste STRABONE lib. XIII. f. m. 987.

XII

& ÈVSTATHIO Theſſalonicenſi in *Paraphras.* ad *Dionys.* Perieget. v. 855. optimus crocus nascitur; deſcenſus vero in illud ad MMD paſſus excurrit veluti ex *SOLINI Polybiſtore cap. XXXXI.* innotuit.

Antrum itidem *CORYCIVM* dictum in *Græcia* prope Parnassum, priori vix cedit. *STRABO* faltem lib. VIII. fol. 639. αντρον γνω-
γιμοτατον και καλλισον adpellat. *PAVSANIAS* vero in *Phocicis cap. XXXIII.* f. m. 877. omnium, quæ vñquam viderit dignissi-
mum, quod ſpectetur, iſtud iudicat. Subdit porro: *Eſſane in oris
maritimis ac littoribus, in profundis maris recessibus quam sit magnus
buiusmodi cauernarum numerus, facile quis vel accurate commentando
consequetur.* Præterimus ſpecum celebrem *ΣΤΕΥΝΟΝ* nuncupatum,
quem Phryges, amnis *Peucelle* accolæ, ad ſe venientibus monſtrare
ſolebant; nec multis commemorabimus antrum *charonium, tæ-
narium, volaterranum, cumanum, puteolanum, anderenum* aliaque non
pauca celebrioris famæ caua. Antrum tamen in *ANTIPARO*,
quæ maris *ægei* iſula eſt, memoratu eo dignius habetur, quo cu-
ratius illud luſtratum deſcripferat atque iconē illuſtrauerat *PITTÖN*
de *TOVRNEFORT* dans *Relation d'un voyage du Levant fait par or-
dre du Roy Tom. I. lettre V. p. 71.* Legitur lapidi incifa iſcriptio
ſequens:

HOC ANTRVM
EX NATVRÆ MIRACVLIS RARISSIMVM
VNA CVM COMITATV
RECESSIBVS EIVS PROFVNDIORIBVS ET ABDITIORIBVS PENE-
TRATIS
SVSPICIEBAT
ET SATIS SVSPICI NON POSSE EXISTIMABAT
CAROL. FRANC. OLIER DE NOINTEL
IMP. GALLIARVM LEGATVS
DIE NAT. CHR. QVO CONSECRATVM FVIT
AN. MDCLXXIII.

Celebrabat ibi iſte Legatus festum natalitorum Christi, per tri-
duum vna cum huius itineris ſociis, plus quam quingentis, quos

ex

ex illa commoratione eximie delectatos fuisse compertum est. Antra Pannoniae in ditione Liptouensi stupendo naturae prodigio facta, prolixa recensione non prosequemur; librum enim, non scholion sibi postulant. Antrum Czerna maius & minus, Benikoua, Dwere, Okno, maius & minus, antrum glaciale Sziliczense, specus Thuroczienses, Gömorienenses, Szentjuanienenses &c. descriptos partim, partim vero delineatos videoas in MATH. BELII Hungariæ antiquæ & nouæ prodromo fol. 151. & in eiusdem Notitia Hungariæ nouæ Tom. II. f. 522. Ne vero quis opinetur eiusmodi cauernas in terris solummodo orientem austrumque spectantibus obseruari, de borealibus idem demonstrare præsens exigit negotium. Tacemus interim specus in Germania frequentes, nec sigillatim eorum inibimus numerum. In vulgus enim nota est spelunca Rosensteinensis in Suevia, aliæque plures, quas in sinu suo fouent Herciniæ iuga, quas inter celebratissima habet Baumanniana in sex diuisa recessus & visu & perreptatu non indignos. Antrum præterea Rugianum in promontorio Iasmund famosum satis, & latronum asylum olim tutissimum, GER. MERCATOR commemorat in atlante maiori f. 312. Celsorum Norwagiæ Lapponiæque montium antra profunda nimium & flexuosa, infra §. XXVI. erunt commentanda.

§. VIII.

Cavitates terræ non sunt vacuæ. Tanta enim spatia a corporibus vacua in rerum natura non dantur. Continebunt ergo alia corpora ab ipsa terra diuersa: & quidem vel aquam, vel res inflammatu faciles. Et cum hæ sine liberiori aëris accessu ardere nequeant, (per experim. phys.) cauernarum autem incendia

B 3

XIII

cendia tot vrbibus funesta per tristem experientiam satis euicta sint, necessario etiam aërem eumque ex certis causis commotum continebunt.

σχολιον.

Aquas in terræ cauis existere, dubiis non subiacet. Materiam autem ignis in terræ visceribus contineri, per experientiam metallurgicam constat & plebi metalli fossorum æque ac aliis notissimum. Pyrites enim, mineræ argenti, æris, plumbi, ferri ipsumque antimonium, cinnabaris & auripigmentum sulphur intertextum habent, imo ipsæ metallorum fodinæ non raro sulphur stillatitium purum suppeditant. Maxima præterea lithanthracum strata, oleum petræ, succinum fosfile, asphaltum, naphtha, exquisitum ignibus præbent somitem. Comprobant idem *Ætna* & *Vesuvius*, quoties flamas edunt & horrendo satis spectaculo metalla pertinaci incendio liquata, sulphurisque vim magnam ad instar fluminum ignitorum eructant. Quod factum esse nouimus anno MDCLXVIII mense Martio, quo vrbes *Messina* & *Catanea* propemodum deletæ sunt. Conf. *Transact. philos. Soc. scient. Lond.* eiusd. anni p. m. 326. 359. Ignem vero subterraneum dari præter montes Vulcani, thermarum frequentes scaturigines & cauernæ fumos sulphureos affatim spirantes, satis demonstrant. Vulgo autem creditus ignis centralis, qvem *ATHAN. KIRCHERVS* inflare quam maxime studuit, inde a morte huius viri instar famosi illius purgatorii pri-dem extinctus est.

Aërem tandem in cauis terræ inclusum, valide satis saepius commoveri, atque a calore subterraneo expandi modo, modo autem succedente frigore iterum comprimi, id stupendi effectus tot regionibus exitiales, iam dudum dederunt euictum.

sibr399
§. X.

§. X.

*Omnia corpora sunt in perpetua actione, habentque tendentiam versus omnes plagas, seu conatum ad occupandum locum aliorum corporum. (per princip. phys.) Si vero *omnia*; ergo & corpora cavitatibus terræ inclusa.*

§. XI.

Corpora tamdiu manent in quiete, quamdiu vis corporum proxime coëxistentium & resistentium æqualis est illorum actioni & tendentiæ. Quandocumque autem vis resistens per caussas occasioales infringitur adeoque mutatur, tum corpora antea quiescentia moventur versus illam plagam, in qua resistentia deprehenditur minor. (per princ. phoronomic.)

§. XII.

*Corpora *elastica* sunt, quæ a vi externa comprimi adeoque minus spatiū occupare possunt, quæ tamen vi externa remittente, in pristinum se statum restituunt (per experient.)*

§. XIII.

Aër est corpus maxime elasticum. (per experimenta aërognostic. & aërometr.)

§. XIV.

§. XIII.

Corpus elasticum præter naturam compressum & in minus spatum coactum contravim prementem tanto agit fortius, quanto maior ex illa est resistentia. Omnis enim actio æqualem habet reactionem. (*per princ. phys.*)

§. XV.

Et aëris & aquæ in cauernis subterraneis per ignem nimium rarefieri & expandi possunt, hinc & maius spatum occupare conantur. (*per experient.*)

§. XVI.

Aëris & aquæ per ignem rarefactorum conatus in maius spatum enitendi, aucta ignis subterranei vi, magis increscit ac tandem in manifestum motum abit, qui ratione effetuum in sensu incurrentium varius est; hinc & varia sortitur nomina.

σχολιον.

Aër siue solus siue aquis immixtus, quando ab igne subterraneo expanditur, exitum molitur violentum. Hinc vel per fissuras angustiores penetrare contendit, vel vias sibi pandit ampliores. Si per aperturas arctas pellitur, terram sæpe quatit; mugitus insuper audiuntur horrendi, qui tum inualescere obseruantur, cum expansio

XVII

sio fluidorum in cauis terræ occlusorum, ab igne quidem vrgetur, spiracula vero ad maioris diametri mensuram, dilatari nequeant, ob firmorem crustæ continentis & vt plurimum saxosæ cohæsionem. Vnde *σεισμοι μυκητιαι* seu terræ motus mugientes seu mugitores audiunt. Nonnumquam eiusmodi mugitus fortiorum terræ motum præcedunt quod sæpius obseruatum est. Vid. SYLVII BOCCONIS PANORMITANI obs. curios. obs. VI. de terræ motu Siciliæ 1693. p. 101. 105. Aliquando tamen hosce mugitus nulli sequuntur terræ quassationes, quod suo iam tempore notauebat ARISTOTELES libro de mundo cap. IIII. p. m. 1212. πολλαχις δε χωρις σεισμοις γινεται μυκηται γης. Aér enim rarefactus quanto copiosius ex cauis terræ per rimarum hiatus penetrauit, tanto minus terræ quatiendæ par est, si plura inprimis aperiantur spiracula, vel ignis subterranei vis defeuere occipiat.

Si contra aér ob furentem expansionis impetum dissolutis compagibus terram subitus dirimit: atque fundamentis hoc modo subrutis, superiora in altum protrusa, reciprocis pulsibus concutiuntur, παλατιαι σεισμοι adpellari solent. Dum vero humum intus violenti motus suscitant ingentesque moles sursum propellunt, ab aquæ feruientis similitudine βρεσαι seu βρεσματιαι dicuntur. Sicubi autem quæ uno obnixu impulsa sunt, subito iterum subuertuntur σεισμοις ασαι vocarunt græcorum physici. Horum motuum speciem aliam ponunt εγκταις seu terræ motus effraetores, qui iam saxa, iam cœnum ex imis eiiciunt, nonnumquam vero & fontes sulphureo fætore deprauatos eructant. Aliquando regiones cum in obliquum & ad angulum quasi acutum quassæ, dimouentur, per επικλινται σεισμοι id euenis traditur. Tandem spectaculum maxime horrendum exhibit illa motuum vis, qua terra subito patefactis voratrinis in abyssum absorbetur, & vel hiatus maximos relinquit, vel in locum continentis soli lacus protrudit mephitim redolentes, hominibus æque ac pecoribus exitiosam. Et isthanc χασματιων nomine insigniunt.

C

§. XVII.

Caussa ergo violentorum terræ motuum est vel *aer*, vel *aqua*; quoties in cauernis subterraneis ab igne rarefiunt ac nimium expanduntur, & hoc modo terram ad dirruptionem sollicitant.

σχολιον.

Quamvis in reddendis phænomenorum naturalium rationibus, antiquorum sententiæ plerumque claudicent: in explicacione tamen caussarum, quæ terram quatere varieque eius faciem mutare vel defodare potius valent, nonnulli fuerunt feliciores; quos inter *LVCRETIVS & SENECA* philosophi *romani* palmam præripuerunt græcorum plerisque: vtut *GELLIUS*, qui *Senecæ* tamen scripta legisse poterat, in *Noct. Attic. lib. II. cap. XXVIII. romanorum gentem* admodum ignaram pronunciet, quasi nesciuissent per quem deorum dearumue terra tremeret. Adiuuit autem philosophos romanos locorum opportunitas, montium igniuomorum incendia crebriora & motuum terræ frequentia in *italia*. *LIVIO* minimum auctore *decad. IIII. lib. IIII. & V. p. m. 145. 185.* illo anno, quo *L. Cornelius & Q. Minutius COSS* fuerunt, ita crebri nunciabantur terræ motus, vt non rei tantum ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum homines tæderet. Anno autem sequente, quo *L. Quintius & Cn. Domitius* fasces gesserunt, *romæ*, terra dies duode quadraginta mota est; hinc per totidem dies feriæ in solitudine ac metu fuere transactæ. Calamitatum ergo ex terræ concussionibus ortarum multitudo, philosophorum excitauit ingenia ad caussas horum motuum indagandas, quoniam veterum, de his sententias & opiniones parum exactas rudesque deprehenderunt. *THALES Milesius* v. c. totam terram instar nauigii vnda sustineri, hinc & varie motitari credidit. Quæ etiam *ANAXIMENES, MERO-*

XVIII

TRODORVS, PARMENIDES, DEMOCRITVS, ANAXAGORAS, Stoicorum tribus, aliquae græcorum, excepto EPI-CVRO & ARISTOTELE in medium attulerunt, ea fabellis, quam rationibus physicis sunt similiora. Vid. PLVTARCHVS de placitis philosoph. lib. III. cap. XV. SENECA Quæst. nat. lib. VI. cap. VI. seq. PET. GASSENDVS in animad. in Epicuri philosoph. tom. II. f. 104I. Constat ceteroquin opinio fuit græcorum, quod Neptunus ira accensus terræ motuum auctor sit, quem ideo Επονειγαῖον, σεισιχθόνα, terræ quassatorem γαιηρχον terræ cinctorem nuncupare solebant. Vid. THVCYDIDES de bello pelop. lib. I. p. m. 69. Cl. AELIANI var. hist. lib. VI. cap. VII. CÆL. RHDIGINI antiqu. lecf. lib. XXX. cap. XXVII.

§. XVIII.

Aliquando aër citra ignis coëxistentis vim expandentem, deficientibus quoque materiis ad concipiendam flamمام aptis, terram mouet: idque in locis maxime maritimis, in quibus laxior terræ est contextus amplioribus poris instrutus & pluribus saepe cauernis referitus. Primo enim forinfucus irruit alteque penetrat; deinde vero ubi omnia repleta sunt, vrgentibus in primis ventis, aër regredi nequit, sed ab impetu extus impingente eiusque exitum prohibente, in cauis subterraneis comprimitur ac tandem ad validissimam, quæ sequi solet, disponitur elisionem.

C 2

σχολιον.

XX

SENECA in *Quest. nat. cap. XXV.* hoc iam obseruauit phænomenon. Loquitur enim de spiritu magna vi in vacua terrarum irrumpente, rixante & exitum moliente ; qui si difficilius detur, latera, intra quæ coactus detinetur, concutit, vt non ædificia modo superimposita procumbant, sed & caui tegmen in subter vacantem locum decidat, totæque vrbes hac ratione in immensam mergantur profunditatem. Ratio huius phænomeni, quod ad regiones maritimas attinet, quærenda est in ipsis oceani motibus ferme perpetuis & raro quiescentibus. Maris enim fluctus ventorum vi concitati, & in altitudinem pæne incredibilem subito erecti, quando notio impetu disiuntur, iterum vero in maius volumen collecti motu vario agitantur, aërem fluctibus contiguum non tantum premunt, sed si impetus versus littora dirigitur porosa & intus meatuum plena, in ipsa laxioris terræ caua *propulsant* atque *reprimunt*, qui hoc modo detentus, motu intestino auctiori incalescit valde que expanditur ; & quoniam isthæc resistentia externa, aëri exitum per illas vias häud concedit, per quas impressus est, hinc in maius spatum eniti contendit ; latera cedere cogit ; & ipsam terræ superficiem eo loco, quo ob minus firmam compagem, minime resistere valet, disruptit, iteratisque pulsibus, vel vnam vel plures motuum species producit, de quibus *vid. Schol. ad §. XVI.*

§. XVIII.

Quod secundum (§. XVIII.) locis maritimis frequentius euenire solet, idem & aliis regionibus iisque montanis, vtpote semper cauernosis accidere posse, certum & experientia confirmatum est. Quia eadem caussa, mutatis licet circumstantiis leuioribus, eumdem propemodum producere valet effectum.

σχολιον.

σχολιον.

Hæc veritas quamquam a non paucis in scientifica terræ motuum explicatione negligi soleat ; qui nihil nisi *sulphur*, *nitrum* & *bitumen* loquuntur ibi, vbi horum ne vestigia quidem exstant : a nobis tamen solite adnotari debuit, vt in nouissimorum *Angliae* terræ motuum disquisitione, eo exactiorem reddere valeremus istorum rationem, quam ne veteres quidem physici ignorarunt, veluti ex *LVCRETII Cari de rer. nat. lib. VI. p. m. 792. seq. percepimus.*

*Nunc age quæ ratio terrai motibus exstet
Percipe, & in primis terram fac ut esse rearis
Subter item ut supra sit, VENTIS atque vndique plenam
SPELVNCIS. Et paulo post
Est hæc eiusdem quoque magni caussa tremoris
VENTVS vbi atque animæ subito vis maxima quedam
Aut extrinsecus aut ipsa a tellure coorta,
In loca se cava terrai coniecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit ante tumulco
Versabundaque portatur post incita quom vis
Exagitata foras erumpitur, & simul altam
Diffindens terram magnum concinnat hiatum.*

Ne vero experientiæ exemplum desideretur, ipsam fistimus *GERMANIAM* quæ anno MDCLXXX. longe lateque concussa est, per *Thuringiam*, *Bauariam*, *Alsatiam*, *Sueviam* aliasque regiones horidis montium iugis saxofisque tractibus obsitas, adeoque minus porosas, non tamen omni ex parte firmiter cohærentes ac solidas, sed subterraneorum meatuum numero inter se certantes. Ita *CARNIOLÆ* terras sub initium anni MDCLXXXI, idem quod superiori anno reliquam germaniam, pressit terruitque fatum. Nam die XVIII. XX. & XXI. Februarii increbruit sub-solani impetus, qui per tractum *laubacensem* non solum, quin &

C 3

per

XXII

per remotiora germaniae loca aërem in cauis subterraneis tanta compressit violentia , vt citra laterum tegminisque luxationem, contineri in illis non poterat. Die enim XVIII caroloſtadiū & labacum concussa sunt ; die sequente labacum de nouo & regiones vicinæ ; tertio autem francofurtum ad mœnum & terræ ad necarum sitæ tremuerunt. Primi impetus fuerunt maxime violenti. Nam regionem ex immensis illius hiemis frigore vehementer in superficie densatam atque constrictam, passim perruperunt, & diductis voraginebus per modum τῶν χασμάτων aenosissimas quercus e visceribus terræ submotas, funditus excusserunt, & pluribus hiatibus factis, aëri in imis antea compresso, parauerunt exitum. Conf. IOH. GEO. THALNITSCHERI Icti labacensis, cœu testis oculari observationem de terræ motu labacensi, quam NATURÆ CURIOSI ephemericibus suis inferuerunt & in DEC. II. anno VIII. cum publico communicarunt obf. CCXXVI. p. 423. Conf. eiusd. anni obf. SCHELHAMMERI CXXXIII. p. 246. de nupero terræ motu. NIC. HOEPFFNERI Erschüttertes und bebendes Meissen und Thüringen, Lipsiæ 1691.

§. XX.

Ex illis, quas in medium attulimus causis, (§. XVII - - XVIII.) vna solummodo terræ motum EBORACENSEM produxit: licet quævis illarum seorsum suo tempore violentas satis ciere valeat terræ concussiones.

§. XXI.

Illa caufsa, quæ anno MDCCXXXVIII. die XVII Ianuarii obtinuit circa EBORACUM, aēr fuit in cauis terræ a ventis forinsecus

secus irrumpentibus valide *compressus*, densatus ac præter naturam in minus, quam quod sibi poscebat spatum, coactus, qui libere regredi nescius, reciprocis collu \ddot{e} tationibus sibi exitum quæsiuit, & maxima qua potuit violentia eumdem quoque inuenit.

σχολιον I.

Angliam quemadmodum & alias regiones boreales violentis terræ motibus obnoxiam esse experientia quidem satis constat: a priori tamen, quod philosophi aiunt, euinci potest itidem. Nam si verum est, quod ad crebra montium igniuomorum incendia & horrendos terræ motus requirantur I. materiæ inflammatu faciles in terræ penetralibus contentæ; II. terra valde porosa; III. denique aër; IIII. tandem mare, veluti illuf. EH. W. de TSCHIRNHAUSEN, qui *Vesuuium, Ætnam & insularum Vulcaniarum montes igniuomos* minus adspexerat, ex vero adseruit *in med. ment. part. II. p. 151.* etiam in *anglia* terræ motus oriri possunt, atque extimeſcendi sunt. Anglia enim fecunda metallorum genitrix, strata ostendit quamplurima materiarum ad flammam concipiendam aptarum, quas inter primum locum sibi vindicant ταῦ λιθανθρεκών incredibilis ferme copia, e.c. in prouincia darbyensi, dunelmenſi, (quæ vulgo *the bishoprike af durham* dicitur) salopienſi, carmardina, lancastriensi aliisque tractibus non paucis. De cæſpite porro bituminoso, quo insula abundat, de calce, de carbonum fossilium specie illa singulari, qui in tractu somersetensi prope winecaunton, ob virulentum, quem spirant odorem, ne operæ quidem pretium faciunt, vt effodian- tur, in præsenti nihil adferemus. Carbo autem fossilis, vt in numero eorum corporum habeatur, quæ facile concipere ignem possint, ipsa αναλυσίς iubet chymica; qua instituta, primo phlegma, postea spiritus acris sulphureus, denique oleum subtile ac tandem-

XXIII

dem crassius fundum petens, vltimo autem sal elicetur ad instar
falis succini; terra insuper nigra leuiori relicta, vti id *F R I D.*
H O F F M A N N V S in *Obseruat. phys. chym.* ad *reg. societatem scien-*
tiar. londinensem transmisis lib. II. obs. XXIIII. optime demonstra-
uit. Ex his etiam causis tam facile oriuntur fodinarum e quibus
λιθανθράξ eruitur, incendia, quorum exemplum olim habuimus in
agro saxonico *Zwickauensi*, in quo eiusmodi incendium, casu qui-
dem fortuitu productum, in fodina carbonaria vltra L annos du-
rauerat. De incendiis autem harum fodinarum spontaneis hic loci
pluribus differere arctiores libelli vetant limites. Quid anno
MDCCXXXV die V Septembris in terris illustriss. *C O M I T V M*
Lippiensium in eiusmodi fodina ad pagum *sulbeck*, acciderit, de eo
consulatur *C. P. B E R G E R* in *Versuch einer gründlichen Erläuterung*
merckwürdiger Begebenheiten der Natur. I. Stück p. 2. His lithanthracum
stratis accensemus mineras porro imperfectorum metallorum
varias, multo sulphure fetas, vt sunt *Zincum, marcasitha, ferrum, stibium,*
plumbum in lancastriensi & derbyensi agro. Quanta his insit sulphuris
copia, per experimenta *δοκιμασία*, quæ vocant, demonstrari potest.
Neque desunt in *Anglia petrolei scaturigines*, quas necessario ibidem
exsistere debere, ipsa carbonum fossilium generatio confirmat,
qui vtpote ex lapide scissili & petroleo coalescunt. Vbi ergo lar-
gus lithanthracum prouentus, ibi olei petræ abundantia. Studio
præterimus *Angliæ* cauernas petrolei multum stillantes; sufficit
enim exempli loco fons ille agri *salopiensis* in pago *PITCHFORD:*
aquarum huius fontis superficies semper cuticula, quam, oleum
petræ vna cum aqua simul scaturiens, format, obtegitur, vtut
quotidie supernatans aquis oleum studiose separent incolæ. *Conf.*
JAMES BEEVERELL les delices de la grande Bretagne tom. II.
pag. 359.

σχολιον II.

Si præterea solum porosum terræ concussionibus velificatur, de *Anglia*
dubium subest, vtpote quæ minus porosa, contra vero firma nimis
& saxosa videri potest illis, qui in memoriam sibi reuocant, quod
prouin-

prouinciarum haud paucæ perpetuis montium cingantur iugis, quæ passim in alpes attolluntur eximiæ magnitudinis, vt eorum cacumina hic nubium tegantur vaporibus, illic autem dorsis terminentur declinioribus, fundo vndique firmo solidoque. Verum enim vero, opportune monemus :

- I. Tractus istos denso montium agmine tectos, subtus multis instrutos esse cauernis, ab ipsa natura effictis; quales inuenias in agri *darbyensis* illa parte siluosa, indigenis *PEAK* dicta & zephyroboream spectante, in qua specus se offert, quem angli *eldenhole* dicunt, cuius immensa profunditas cum vastissima eius amplitudine de palma certare videtur. Sed hunc ipsum specum in eadem ditione, magnitudine longe superat vicinum illud antrum, in plures diuisum meatus & vulgo *Devils-Arse* adpellatum, cuius introitus patet in antiqua arce, *Castle in the peak.*

Westmoria pariter inter eas regiones censenda, quæ montibus horrent, sed medias inter salebras & rupium præcipitia cryptas fouent, quarum celebris maxime habetur illa, quæ ad decantatam illic locorum rupem *Isan-parles*; accessu difficiili quidem & apertura arctiori hiat, verum paulo post in plures cuniculos dispescitur, vastæ longitudinis & largi admodum ambitus, qui tortuosis flexibus interiora terræ perforant, bellique tempore tuta præbuerunt asyla. Observatio insuper singularis est, *FRANC. BACONIS* de *VERVLAMIO* in *bisl. ventor.* f. m. 454. vbi testis oculatus refert, *omnes montes & rupes esse non solum cauernosas, sed & ventorum quasi locos natales.* Impetum ventorum, qui in montium cauis passim furit, demonstrant vestimenta voraginibus illorum, experiundi cauissa iniecta, vtpote quæ magna vi altius in ærem elata reiiciuntur, veluti lippis & tonsoribus in *comitatu denbigh* qui *Walliae borealis* pars est, notissimum. In eadem prouincia, scilicet in *Aber-Barry*, si aurem quis opponat cliuorum foraminibus, sonitus varios flatuumque subterraneorum murmur percipiet. Verissimum adeo est adserendum illud physicum: *Ventos cauernarum esse aseclas perpetuos.* Plura de hoc argumento scite disputarunt *BENEDICTVS MAZZOTTA Prof.*

D

XXVI

*Prof. Bononiensis de triplici philosophia part. vlt. cap. I. p. 148. IO.
WOODWARD Prof. Phys. Colleg. Gresham. in Specimine geograph.
physic. part. III. p. m. 120.*

- II. Inculcamus, earumdem prouinciarum, quæ præ ceteris solidiori gaudere creduntur solo, interiora omnium maxime esse subrata & a multis inde sœculis metallicarum industria excavata. Nam tractus arenosi metallis destituuntur: ergo in montanis erunt obuia. Et cum hasce diuitias subterraneas iam olim *romani* nouerint, iudicatu non erit difficile, ab illis sœculis ad nostra vsque tempora tanto pertinacius perfoſſa esse terræ viscera, quanto audius metallis inhiare soleant mortalium animi. *CAIVS* quidem *IVL*. *CÆSAR* de bello gall. lib. V. cap. XII. britanniam tamquam metallorum inopem nobis describit, dum *plumbi* solummodo *albi* prouentum exponit & *ferri* exiguum adesse copiam adserit. *COR. TACITVS* contra in vita *AGRICOLÆ* cap. XII. fert, inquit, *britannia aurum & argentum & alia metalla*. *STRABO* pariter lib. IIII. f. 305. aurum, argentum & ferrum hanc insulam proferre commemorat. Sane verum est, ex metallis siue perfectis siue imperfectioribus nullum omnino desiderari in *anglia*: auri tamen *copiam*, quantum nos meminimus, nec *anglia* fert, nec *scotia*; vtraque autem illo non prorsus orbata est. Quoniam mineræ æris & aurum vehunt & argento largiter imprægnatae reperiuntur. *Ferrum* contra, *æs*, *plumbum nigrum & candidum*, *mondyk*, *hæmatiten*, *alumen*, *vitriolum*, aliaque ad fossarium classem pertinentia, v.g. *pyriten*, *cretam*, *ochram*, *asphaltum*, *margam*, *argillam*, affatim suppeditat ager *eboracensis*, *cornubiensis*, *darbyensis*, *suffexiensis*, *wesmoriensis* aliæque prouinciæ suo nominandæ loco. Ex his autem recte concluseris: vbi metallæ, quorum usus pacis bellique tempore maximus est; ibi & aliquot millia operarum, quibus viscera terræ quotidie suffoſſa, magis excavantur, & regionum fundus, primo obtutu maxime solidus adparens, sua, quam hoc modo præ se fert soliditate priuatur penitus.
- III. Tandem obseruamus magnam *angliæ* partem fabulosam pariter & obſtrata argillæ & margæ longe lateque dispersa, fundo laxius cohærente præditam offendit, ita, ut cum *Italiæ* porosis partibus,
- ibi

ibi in primis, vbi largior cretae prouentus est, omnino posuit contendit. Speciatim hic commemoranda est illa soli laxitas, quam in alpium quarumdam septemtrionalis walliae meditullio obseruatam, pridem mirati sunt philosophi. Altissima enim iuga, quae snowdon vocant, licet e durissimis coaluerint petris: pasim tamen ad quemuis hominis gressum, in cacuminibus late tremunt.

III. De aere & mari seorsum pleniori sermone iam non agemus. Norunt enim omnes britanniam esse insulam, oceano cinctam atque vehementissimis aeris motibus seu ventis liberrime expositam. Ad sunt ergo omnia, quae ad terrae motus disponere, & ex mente TSCHIRNHAUSII regionem illis obnoxiam reddere valent.

§. XXI. Schol. I.

§. XXII.

Quantum igitur colligere licet ex superiorum saeculorum observationibus, quas de terrae motibus, *anglorum* annales commemorant, aer in subterraneis meatibus nimium comprefsus in hac insula saepius; incendia vero subterranea rarissime mouerunt terram. Ratio autem phænomeni in soli dispositione §. XXI. & subiunctis scholiis exposita est. Quae quia ad hoc usque tempus obtinuit, hinc etiam frequentius horrendum illum in prouinciarum concussionibus edit effectum.

σχολιον.

Nihil ergo egit vir inter eruditos alioquin longe celeberrimus MARTINVS LISTERVS anglus, qui in Transact. philos. anno MDCLXXXIII.

D 2

mense

XXVIII

mense *Martio* editis, probare connisus est, omnem terræ motum tam in *Britannia*, quam alibi locorum vnicē oriri ex pyritis ferri-feri exhalationibus, quæ in flammatum abierunt. Quod placitum tacite iam refutatum est in illis, quæ paulo supra disputata legas. Vapulat hic etiam *FRANC. BAYLE* in *institut. physic.* tom. II. p. 289. qui ponere non veretur, aërem in cauernis vehementer agitatum, excitare quidem posse terræ motus, *saltem leuiores, non vero magnos, quibus omnia susque deque vertuntur.*

Quod si tamen curate dispiciamus, quibus circumstantiis in *anglia* terra mota sit sæpius, profecto ne leuisimam quidem incendii subterranei aut sulphurei halitus accensi, animo aduertemus suspicione, nedum clarum horum aliquod indicium.

Anno MDLXXI. die XXVII *Februarii* in comitatu *herefordensi* hora VI vespertina proxime ad oppidum *markley*, terra horrendis cum mugitibus quassa, agri partem viginti iugerum loco suo mouit & spatio XIII. horarum in aliud locum XXXX pedibus a pristino distantem transtulit; situ tamen prorsus immutato. Quæ enim arbores aut casæ antehac ad occidentis solis plagam sitæ fuerant, post hanc *νατασεοφην* orienti soli obuersæ restitauerunt. Sacellum *Kennaſton* funditus euersum, gregum etiam pars vna cum tugurio-lis inter arboreta erectis, absorpta, & viæ publicæ ad distantiam CCC pedum, loco suo emotæ sunt. Post triduum tandem, firmato vndique agro, qui translatus erat, terra mirum in modum intumuit & continuis motibus in *collem* XXIIII pedes altum eleuata est, qui hodie *marckley hill* seu collis marcleianus adpellatus, funestæ conuersionis præbet monumentum. Vid. *GVIL. CAMBDENVS* in vasto suo & eleganti opere historico & geographicō, quod indice *atlantis noui* edidit f. m. 333.

Anno MDLXXIII. die XXIIII *Februarii* per *Wallie* septemtrionalis tractum, speciatim per comitatum *denbigh*, per agrum *eboracen-sem*, *vigorniensem*, *glocestriensem* & *herefordensem*, terra tam ve- hementer concussa est, vt nata inde prouinciarum deuastatio ad *bristolium* vsque se extenderit. Hæc tamen omnia acciderunt citra

XXVIII

citra sulphuris incendium aut flammæ erumpentis vestigium; certo satis indicio, terram ad ductum cuniculorum sub terra in varios cœcos meatus diuanticantium, a vi aëris inibi per ventos compressi esse quassatam desolatamque.

Anno MDLXXXV. in prouincia *cantienſi* vicus *mottingham* parili terræ motus genere deuastatus est. Exorta enim tempestate procelloſa, quam imbræ affidui tonitruumque fremitus comitabantur die IIII *Augusti* mensis, ditionis pars subito subsedit aut verius absorpta est, ad tantum profunditatis gradum, vt relictæ ibidem hiantis voratrinæ fundus, immisso fune pondere armato, & C pedes longo explorari nequieuerat. Et huius terræ motus cauſſa, subductis bene circumstantiarum rationibus inuentu est facilis. Nam furore procellarum aër in cauis subterraneis tanta vi in angustius spatium coactum est, vt recessuum fornicibus, sub violenta expansione reagente, intus perruptis, superficies repentino casu descenderet debuerit.

Anno MDLXXXVI. in eadem prouincia *planicies illa*, quæ ad vnum lapidem cum dimidio ab oppido *Westram* abeſt, die XVIII *Decembris*, ex improviso mergi in profundum cœpit, ita vt die primo sex, altero quindecim, tertio autem viginti quatuor pedes descenderit, & hoc modo vna cum gregibus, casis, sepimentis & fruticetis, in voragine præcipitata disparuerit penitus; hiatu protinus aquis stagnantibus expleto. *Vid. IAMES BEEVERELL* l. c. tom. III. p. 754. seqq.

Anno MDCLVII. in comitatū *ceſtrienſi* cuius fundus rarus admodum & paludosus est, die VIII *Julii* tempestate maxime Serena, hora post meridiem tertia, rebus vndique tranquillis ad vicum *buckley*, qui ad tertium lapidem ab vrbe *malpass* distat & septemtrionem spectat, repentini fragores sub terra verum tonitru mentientes auditi sunt, qui singulos attonitos quasi reddiderunt, quoniam regio aëris atmosphæræ proxima, neque nubilosa caligine obducta, neque ventis agitata obſeruabatur. Opinione tamen celerius, proxime adiacens saltus vacillare cœpit primum, deinde vero a voragine

XXX

gine haustus, penitus absorptus est, relictis passim hiatibus, qui nouam terræ videbantur minari deglutionem. Locum illico inundarunt aquæ *salsæ*, quarum origo, vel ex mari, vel e proximis salinis *cestriensibus* per *angliam* tantopere celebratis derivanda erit. Vtriusque interim historiæ phænomena, nisi omnia nos fallant, satis superque demonstrant, quod eadem ab incendio subterraneo arcessenda haud sint.

§. XXIII.

Ideo tamen ignis subterranei in *anglia* existentiam non negamus. *Potentia* enim semper adest, veluti celebres aquæ calidæ *Bathonienses* comprobant. Adfunt etiam pyritis & sulphureorum strata; quibus si sub certis circumstantiis aqua & aër accefferint, non incalescunt modo, sed *actu* flammarum concipiunt. Fieri hinc aliquando potest, vt & *Anglia* ex incendiis subterraneis moueatur, quemadmodum id fieri haud raro solet in *Italia* & insulis quæ adiacent, vulcaniis.

σχολιον.

Incendia montium igniuomorum quando terræ motum vel præcedunt, vel consequuntur, manifesto probant, ignem tamquam caussam præcipuam violentorum motuum esse considerandam: siue is aquam siue aërem rarefecerit & meatuum tegmen ad disruptionem sollicitauerit. Veritatem confirmant obseruationes de terræ motibus *italiæ*. Anno MDCXXXI. die XXVI. decembris, post

post terræ tremores, fragores & mugitus ex *vesuio* monte creberimos, in tot vicinarum yrbiū excidium, ruptus tandem mons est, qui flumina ignita, lapidumque cendentium, puluerum & cinerum vim tantam euomuit, vt quinque hominum millia vel ex ambustionibus interierint, vel cinerum impetu suffocati sint. Quæ mons eructauerat, eorum multitudo ad vsque *constantinopolin* per auras penetrauit & *turcis* funestissimi incendii tulit nuncium. Anno MDCLXVIII. terræ motum illum in *sicilia* secutum est immane illud *ætnæ* incendium ad multa milliaria diffusum. Anno MDCLXXXXIII. die VIII. *ianuarii* in eadem insula frequentes senserunt terræ vibrationes die vero XI. eiusdem mensis terra intra νυχθημερον centies & tricesies quaassata est: imo per eumdem annum millies quingenties solum concussum obseruauerunt incolæ. Aetnæ instiper igniuomi furor, sulphureo, vicina oppida inundauit lacu, omnemque agri sustulit fertilitatem, ea, qua olim vehementia, de qua *SILIUS lib. XIII.*

*Ast ætna eruſat tremefactis cauibus ignes
Inclusi gemitus pelagique imitata furorem
Murmure per cœcos tonat irrequieta fragores
Noſte dieque ſimul fonte e phlegethontis vt atro
Flamarum exundat torrens, piceaque procella
Semiambuſta rotat liquefactis Saxa cauernis.*

§. XXIII.

Quia in *Asia* ex terræ hiatibus pasim flammæ eruperunt sub terræ motibus, & in *Italia* e montibus igniuomis idem ſæpius factum est; credulum vulgus hinc omnem terræ motum ignibus sub terra furentibus attribuere ſueuit; licet

licet in his quoque regionibus terram ex aëre
in cauis terræ nimium coarctato & violenter
ex angustiis suis eluctante, frequenter tre-
muisse certum sit.

σχολιον I.

Quæ ex præiudiciis fluit veritatis obscuratio, scientiarum augmentis
obicem ponit validissimum. Fallacia enim *caussæ non caussæ*, vt
philosophi loquuntur, semel abs eruditis commissa, torpor induci-
tur illis, qui aliorum opinionibus freti atque contenti, in auctori-
tatis præiudicio lubentes adquiescunt, nec quid esse possit *verum*,
disquirunt, sed tantummodo quod dictum est, sectantur. *Caussæ*
ergo terræ concussionum, cum sæpe in *italia* existerit inflammatio
spontanea corporum, quæ promte flamمام concipere possunt:
hinc perperam concluserunt nonnulli, quosvis terræ motus tam
italiæ, quam aliarum regionum ex eadem suboriri caussæ; cum
tamen ne omnes quidem italiæ succussions inde deriuari possint.
Exemplo esse potest terræ motus *romanus* anno MDCCIII. de quo
infra. Iam vero testem veritatis propositæ aduocamus terræ mo-
tum illum, qui tempore *TRAIANI*, *antiochiae*, cum illic hiemaret
imperator, factus est. Præcesserant fulmina, flauerunt venti vehe-
mentes ac *insolentes*; ex improviso tandem *mugitus* (*μυκημα*) terræ
maximus; post *fremitus* (*βρασμος*) horribilis auditus est. Terra
in sublime tolli cœpit; ædificia sursum erigi; erecta partim ruere
& conquassari, partim nutare hic illucue commota: loca ædificiis
destituta mirum in modum agitari, materies ædium frangi, late-
res collidi, lapides concuti ac postreino eorum omnium horrendus
fragor esse. Omnem calamitatem ex aëre in cauernis subterra-
neis ab irruentium ventorum impetu, (§. XXI.) nimis condensato,
subnatam esse, ventorum furor & inconditi mugitus euin-
cunt. Tempore enim hiberno, pori terræ ex frigore magis co-
arctati,

arctati, exitum aëri difficilius, immo plane non concedunt; regressum autem per easdem vias, quibus ante irruit, ventorum impetus prohibet, hinc incalescit aër & ob elasticitatem expansus, effractis fornicum tegminibus, eruptionis libertatem fibimet parat cum tot millium interitu. Hoc autem modo prorumpens aër, auulsa terræ viscera numquam antea visa, eructat & in auras dissipat. Commemorat etiam *DIO CASSIVS* in *bijst. rom. lib. LXVIII. f. 781.* tantos tunc excitatos fuisse pulueres, ut non videre, non alloqui non audire quemquam per eos liceret.

Ex eadem caussa terram grauiter concussam adfirmamus tum, cum *GALLIENVS* summam teneret imperii. Obseruante nimirum *TREB. POLLIONE* p. m. 507. tenebræ per multos dies visæ, auditum præterea tonitru *TERRA MVGIENTE, NON IOVE tonante*, quo motu multæ fabricæ deuoratæ sunt cum habitatoribus. Mota est *roma*; mota & *libya*.

Quantam porro cladem terræ motus intulerit *macedoniae, asie ac ponti* incolis regnante *CONSTANTIO, AMMIAN. MARCELLINVS* lib. XVII. f. m. 441. plenius enarrat. Nos ea solum, quæ ad rem præsentem faciunt, adnotabimus. Veluti summo numine, inquit, fatales contorquente manubias, *ventos* ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit *procellarum*: cuius impetu pulsorum montium auditus est gemitus & elisi littoris fragor: hæcque secuti *typhones* & *presleres* cum horrifico tremore terrarum, ciuitatem & suburbana funditus euerterunt.

σχολιον II.

Sed recentioris quoque æui videamus obseruationes, ab illustri quondam *GEO. BAGLIVIO*, professore romano, teste oculato cum publico communicatas, in singulari opusculo *de terræ motu romano & urbium adiacentium an. MDCCIII.* Die scilicet XIII. ianuarii pluuiæ ceciderunt ingentes, cum *ventis* nimium *furentibus*. Nocte insequente *ventus* de nouo furens omnibus subito excussit somnum, ut lectis exfilirent & plateis se crederent, nec inconsulto. Hunc enim

E

XXXIII

enim venti furorem illico exceptit hora II. matutina terræ tremor maximus : Vniuersa namque *roma* contremuit, sine tamen ædificiorum ruinis. Eo ipso die eademque hora *nursia* in *sabinis* ex terræ motu subuersa & solo æquata est. Diruta sunt oppida duo *cascia* & *leoneſſa*; *spoleto* vero *camerinum*, *ciuitas regalis*, *aquila* in *samnio*, *mons regalis*, *borbonæ*, *cummoli* & innumera oppida & vrbes a *latio* vsque ad *sabinos*, *picentes*, *pelignos*, *sannites*, *brutios*, *lucanos* fortiter tremuerunt non sine magna ædificiorum iaſtura. Conuibrata porro sunt eodem die sed leuius *neapolis*, *venetiæ*, *tridentum*. Die vero XVIII. *ianuarii* tremuit *mantua*, *mediolanum*, & alia in finibus *cisalpinæ galliæ* posita loca. Hicce terræ motus late grassans secundum directionem meatuum hic illic excurrentium regiones deuastauit, modo supra exposito. Ventus quippe furibundus, quem vocat *BAGLIVIVS*, per loca maxime porosa in ipsos penetrauit cuniculos subterraneos longe lateque patentes, & aërem ibidem præter naturam compressum ad elisionem hanc violentam, totque vrbibus funestam disposuit imo coëgit. Aërem vero a ventis forinsecus impressis vehementer coarctatum, recte hic nominari, sequentia volunt phænomena :

Primo enim die XIII. *ianuarii* post primam concussionem in *quirinali* ad radices s. *silvestri* aqua in puteo honoratoris cuiusdam ciuis ad decem palmos creuit & *frequentes* ad superficiem emisit *bullas* vsque ad diem X. mensis *februarii*, quo die disparuerunt.

Deinde ex magnis *foraminibus cloacarum* vrbis, ipso terræ motu durante, vehemens erupit *ventus*.

Tertio in cellis subterraneis non longe a foro iudæorum in quibus mulierculæ lintea lauant, strepitus ingens auditus, & fons ipse subito exsiccatus est: loco autem aquarum ex cauo fontis *ventus* integrati odoris per integrum spirauit νυχθημεσον, quo desinente, aqua guttatum stillare de nouo cœpit.

Terræ motum anno MDCCX die VIII. *februarii basileæ* obseruatum, a ventis itidem excitatum fuisse *BERNOVLLI* & *SCHEVCH-ZERVS* ex vero iudicarunt. Horum alter rem sequentibus narrat

rat verbis: den 9. morgens früh zwischen 4 und 5 uhr, spürrete man zu Basel ein doppeltes erdbeben: vorher bliese ein starcker wind von mittag her mit ungemeiner wärme, iedoch nur wenig stunden: worauf grosse kälte eingebrochen und häufiger schnee gefallen. Diese unständen haben den H. Prof. Bernoulli auf die gedancken gebracht, dasz dieser warme wind aus den unterirridischen hölen ausgebrochen und mit solcher gewalt die erd erschüttert hat. Welchen ich gäntzlich bey pflichte. SCHEVCHZ. Hist. naturalis Heluetiæ p. 94.

§. XXV.

Aér in *eboracensis* tractus parte occidentali per impetum ventorum (§. XXI.) violenter compressus, quia diutius in cauernis subterraneis contineri non potuit, vi sua elastica a calore subterraneo magis aucta, illas passim perrupit, terramque tremere fecit. Quoniam vero copia aëris in cuniculos profundiores, hinc & validiori fornice instrutos, ad *scotiam* usque excurrentes, altius iam impulsæ & coarctata erat; exitum aér tamdiu est molitus liberiorem, usque dum eumdem post octiduum *EDINBURGI* ad littus maris porosum inuenire & ex angustiis elutari valuerat; tanta atmosphæræ agitatione tantoque procellarum furore, ut quassatis ibi funda-

XXXVI

fundamentis, collisisque fastigiis, ædificiorum moles dehisceret partim, partim vero corrueret.

σχολιον.

Impetus qui regionem *eboracensem* primum concussoit, *edinburgi* tamquam loco compressi aëris eruptioni apto, tandem exsæxiuit. In tantum enim spatum motuum violentia protenditur, quantum illa sub terris meatum patet inanitas. Nam uniuntur inter se ductus subterranei, qui ex vna, non regionis, sed orbis parte ad aliam pertingunt, & sub maris fundo inter se coalescunt, varieque diuisi pluribus inter se hiant foraminibus; siue eorum initium, siue finem seu exitum spectes. Hinc saepe terra pluribus diebus tremuit; eo quidem ordine, vt quassata regione vna & durante impetu eodem, plures simul mouerentur: non modo proxime adiacentes, sed & maxime remotæ. Mirum ergo non est, motus, qui primum quassarunt *eboracum*, vltimo tandem desisse in *scotia*. Cum anno MDCXXXI. die XXVI. decembris vesuvius post editos mugitus & horrendos fragores, vim lapidum ignitorum eiecisset tantam, quanta omnem superare posset fidem, tandem ipse pluribus locis ruptus, flumina bituminis eructauit & cinerum explosit incredibilem copiam, vt *byzantium* conspurcarent ac propemodum obruerent: tum & *semus æthiopæ* mons flamas euomuit, obseruante *ÆGIDIO LOCHIENSI* monacho capucino, qui per septennium addiscendæ linguæ *copticæ* caufsa, tunc in *ægypto* commoratus est. *Vid. PET. GASSENDI* vitam *Peireskii* lib. V. p. m. 168. Addendum hic & *IOBVS LVDOLFVS* est, qui in *bistoria æthiopica* lib. I. cap. VII. *babessiniam* auri feracem & plumbo fœtam commemorat, cuius quippe mineris argentum connascatur. Cum vero sine principio $\Phi\lambda\theta\gamma\iota\varsigma\omega$ metalla generari nequeant, materiam ignis in visceribus terræ contineri, omni caret dubio. (§. VIII. *Schol.*) Præterea *LVDOLFVS* l.c. cap. VI. inter altissimos mon-

tes

XXXVII

tes immensas dari voragini, affirmat, vt conspectis iis, *centrum terræ* aliquis conspexisse se se crediderit. Ingenium ergo regionis ad patiendos terræ tremores per quam aptum deprehenditur. Collato §. XXI. Schol. II. num. I. p. 25.

Pariter anno MDCLXXXVIII. quo Neapolis concussa est, Smirnam totam pæne dirutam esse nouimus ex IO. BAPT. du HAMEL reg. scient. acad. *historia* p. 272.

Anno MDCLXXXIII. qui exitialis fuit vrbi Cataneæ ad ætnam montem, quæ ex repetitis terræ succussionibus solo æquata est; etiam LIMA celebris Americæ ciuitas eodem die, nono scilicet Ianuarii, saepius tremuit, quippe quæ his motibus valde obnoxia est. Lectu, digna sunt, quæ de his commentatnr LOVIS FEUILLEE dans *journal des observations physiques, mathemat, & botaniques faites par l'ordre du roy dans les Indes occidentales.* Tom. I. p. 411.

Anno MDCCXX. die I. Julii, quo leuiter tremuit Saxonia vehementer concussa est vrbs chinensis PEKIN cum horrenda incolarum strage & ædificiorum iactura. Vid. Collect. nat. curios. Vratislau. tent. XV. class. III. artic. XVII. no. 7.

Anno MDCCXXVIII. die VIII. Augusti mota est Basilea primum, deinde saeuit vibrationum impetus per Alsatiam, Brisgoviam, Sueviam, Franconiam, Lotharingiam & Burgundiam; vt adeo manifesta satis sit cauernarum & ductuum subterraneorum & submarinorum inter se conspiratio, mutuusque ingressus. Merito igitur fides denegatur SENECAE, qui quæst. natural. lib. VI. cap. XXV. secure tradit: *terræ motus numquam per ducenta extendi posse milliaria.*

§. XXVI.

Terræ boreales tam frequentes non sentiunt concussiones quam australes. Saepius tamen quassatur Anglia: rarius Norwagiæ, Sueciæ

Sueciæ ac Russiæ regnum. Non quod minus disposita * essent ad perpetiendos immo & ciendos motus effractores, sed quod *spiraculis*** abundant pluribus: quibus patentibus, nihil metuendum; illis vero obstructis, subuersio-
nis immineret periculum.

σχολιον.

- * Ab ipsamet natura dispositas, hoc est, suffosas quasi & amplissimis cauernis instructas esse regiones septemtrionales, vtut horridis sint obsitæ montibus, tot sæculorum docuit experientia. *Norwegiæ minimum montibus immensam attribuit profunditatem OLAVS MAGNVS in gent. septemtrional. hist. lib. II. cap. X.* Pedes, inquit, horum montium ita cauernosi, profundi & obliqui sunt, vt funibus immisis, quorsum tendat eorum hiatus, difficillime cognosci possit. Apparent etiam longissimæ, sed valde angustæ rupium ac montium specus, quasi ferro cauatæ vel excisæ in opacos exurrentes recessus. *Idem de lacu ostrogothico VETER dicto, lib. III. cap. XVIII.* tradit, quod in sui medio insulam habeat, in qua duo templa sunt erecta, sub quorum altero *specus cauernoso longoque introitu & exitu immensæ profunditatis reperiatur.* Et dum laudatus auctor mentionem fecisset montium *angermaniæ*, porro subdit: bases eorum habere tortuosas rimas stupendo naturæ opificio fabricatas, in quarum longa voragine formidabilis ille sonitus, quasi subterraneum tonitru generatur. Mirum ergo non est, si vicina *Norwegia* a terræ motibus non prorsus possit esse libera. Memoratu hinc maxime digna est illa *κατασφρη* montis, in prouincia *bahuslehensi* ad pagum *STROMEN* olim obseruata, qui pagus situs est ad radicem celsissimi illius iugi, quod indigenæ *TROLLETTÆ* seu dæmonis caput adpellitant. Fasti norwagici sub indice

XXXVIII

dice *Iordfall hos Stromen* hunc casum adnotarunt, his, quæ sequuntur circumstantiis: nimirum terram furente procella eaque fulminante vehementer concussam esse primum. Deinde quemdam ex adiacentibus, montem excelsum, horrendo cum fragore in late patentem voraginem esse præcipitatum & absorptum. Paulo post autem in locum demersi montis alium montem nouum esse eleuatum omniaque circa radices illorum iugorum, sede pristina mota & immutata. Vestigia tristis huius spectaculi ipsem et insperxerat *IOH. HERBINIVS*, qui anno MDCLXV. *Norwagiam* adiit, ut cataraçtarum sibi colligeret & cognitionem & icones. *Vid. eius Dissertationes de admirandis mundi cataraçtis lib. I. cap. VI.* pag. 33.

In illis, quæ sceptro Russico parent regionibus, prope circulum arcticum sitis, plures celebrantur specus, quos inter notissima est crypta *kongurenſis* in *Vgoria* ad littora fluuii *sylue*, cuius longitudo vnum milliare superat, latitudo autem dimidium exæquat, veluti eamdem descripsit & delineauit *PHIL. IOH. de STRAHALENBERG* in *descriptione Russiæ borealis & orientalis* p. 371.

Disposita porro sunt regna, quæ septemtrionem spectant etiam intuitu eorum corporum, quæ in suis continent visceribus. Metallorum enim feracissima sunt *Norwegia & Suecia*, quod nuper admodum *CAR. LINNÆVS* in suo *systemate naturæ* demonstrauit. *Russia* pariter *salinarum* diues, *ferro, magnete, ære, minera sulphuris*, aliisque abundat fossilibus, in quibus effodiendis dum occupantur incolæ, mirum quantum terram excauant, ventisque aptum nimis parant diuerticulum. Ante aliquot iam saecula regiones arcticas eruendorum fossilium cauſsa, esse subrutas & soliditate sua priuatas, *MARC. PAVL. VENETVS* testatur, qui extremas septemtrionis oras adiit, & quod de metalli fodinis *Tartarorum*, scitu dignum iudicauit, posteris reliquit. *Vid. eius de regionibus orientibus Commentaria lib. I. cap. XXXVII. f. m. 350.*

** Terram arcticam spiraculis abundare noua probatione non indiget. Ex multis enim, quæ natura formauit, quædam monstrauit
OLAVS

OLAVS MAGNVS; memoria vero maxime dignum præbet *islandiæ mons hecla*, quem summo iure caminum borealem dixeris. Huius inconditi fusurruſ, horrendos v lulatus mentientes, fumi pariter conglomerati atmosphærā obscurantes, satis euincunt, eumdem non ſolum *vulcani*, ſed & *æoli* officinam eſſe perpetuam. Præterimus montes *SIBERIÆ* igniuomos, quorum alter ad fluuium *chatanga*, alter vero in traectu *kamtschatkienſi* ſitus eſt. Veri nominis *spiracula* ibidem ſunt *antrum baikalense* & aliud inter vrbem *Tomskoi* & *Kusnetski* obuim. Horum vtrumque inter densatos fumi globos, flamas eruſat, & aëri ſubterraneo liberum concedit exitum. Vid. D. *VARENH* *geog. gen. lib. I. cap. X.* *STRAHLENBERG* l.c. p. 324. Vices in ſuper spiraculorum ſub-eunt fodinæ quæque profundiores, quorum numerus indies tanto augetur magis, quo vehementius metallorum amorem vna cum ardore ex imis terræ eadem eruendi, crescere in mortalibus nouimus. Quod ſpeciatim ad magnam *britanniam* attinet, ſingulare exemplum nouiffimi ibidem formati spiraculi *regia Societas ſcientiarum* londinenſis ad fert in *TRANSACT. PHILOS.* pro *Iul. Aug. Sept.* anni MDCCXXXIII. Obſeruationem exponemus breuiter. *IAC. LOWTHER* Baronet in *cumbriæ* ducatu prope *whitehauen* fodinam poſſidet lithanthracum diuitem & *mari proximam*. Fuerat iſthæc CCLII pedes gallicos profunda, ante quam ſequens caſus emerget. Ni mirum dum operæ profundius ve-nas ſcrutarentur carbonum fossilium, obtulit ſe ſtratum ex lapidi-bus nigris (*blakſtone*) cubicis contextum, quorum latera & rimæ ſulphure eſſent obducta. His quantum opus erat, cæſis & remo-tis, ad nouum ſtratum lithanthracum deuentum eſt. Quibus ut ex voto potiri poſſent, toti occupabantur operarii in exſcindenda crufa nigra, carbonum theſaurum obtegente ſed eo loco, quo largam exſpectarent, aquæ ſcaturiginem, eorum exſpectationem fe-fellit euentus. Nam laticis loco, aër humidus & corruptus magno cum murmure prorupit; quo auditio, reliqui aduolant foſſores, vtque curatius noſſent nouum fodinæ portentum, candelam ad-mouent,

mouent, sed huius subsidio aër subito incensus flammam formauit pyramidis instar, sex pedes altam, quam cum extinxissent, per terrefacti fugæ se dederunt, & quid factum esset, exposuerunt fodinæ domino; qui rem adeo insolitam exploraturus, in fodinam descendit & binis vicibus accendendo halitum fodinæ sulphureum, rei experimentum cepit. Ne vero incendium tam facile parandum, imposterum fraudi esset operarum pensis, aërem hunc apte collectum, tubi subsidio XII pedes extra fodinam prominente, eduxerunt, qui impetu semper æquali, iam tum, cum isthæc (A. 1733.) in *anglia* litteris mandarentur per triennium eruperat. Nouum ergo, arte obstetricante, natura sibi aperuit *spiraculum*.

F I N I S.

L. APVLEIVS in *libro floridor.* p. m. 602.

Nulla res potest esse eadem festinata simul & examinata: nec esse quidquam omnium, quod habeat & laudem diligentiae simul, & gratiam celeritatis. Præbui me quorundam voluntati, qui oppido voluerunt, quæ a me desiderabantur.



F

ERV-

ERVDITO RESPONDENTI
FELICITATEM
 PRÆSES.

Solent illi, quibus mens est erectior & qui studia semel deperierunt, id agere, ut non litteris solum industriam nauent operam, & in otio negotioso aliquamdiu delitescant; sed etiam ut data sibi occasione, temporis sumtuumque bene locatorum rationem reddant, stipatam publico profectuum specimine, sibi ipsis profuturo & vere eruditis non ingrato. Horum iam numero TV TEmet adiungis lectissime PIETERE, conatu non minus laude, quam imitatione dignissimo. Isthac enim ratione parentum TIBI confirmas amorem; patronorum concilias gratiam & præceptorum denique nec non amicorum in TE auges propensionem, majori amplificandam benevolentia. Elegisti in hunc finem argumentum ex philosophia naturali, quod trita huius scientiae compendia ignorant, pleniora vero opera frigide nimis commentantur, aut nescire potius malunt. Hinc veritatem, veteribus philosophis haud ignotam sed præposterioris recentiorum iudiciis obscuratam, defendere contendis, nouis ratiociniis iisdemque perpetuo obseruationum consensu subfultis. Scrutinio propemodum indigna videtur bodie quibusdam Physicorum, terræ motuum causa; quoniam ea, que ATH. KIRCHERVS in mundo subterraneo; TH. ITTIGIUS

XXXIII

in III. *dissert.* de montium incendiis, & JO. HEN. MULLERUS de
montibus igniuomis, cum publico communicarunt, vim quasi legis obtinue-
runt, ut ultra progreedi non vellent alii, quorum tamen id postulasset mu-
neris ratio. Non parum sane nostra interest scire, utrum aliquis effe-
ctus naturalis ignem, aut vero aërem sui habeat caussam. Antiquorum
ingenia, quæ magis veritatem, quam nouitates sectata sunt, aëri ex
vero eos tribuerunt effectus, quos iam plerique, aliorum auctoritate freti,
igni vindicant. „STRABO minimum, ut philosophos præteream, lib. VI.
„f.m. 396. diserte scribit: ignem ac ventum a terra contentos. vehe-
„mentes edidisse motus, quibus loca Siciliæ concussa & VI VENTORVM
subruta tandem concesissent.” Sed ad TE conuersus iterum, ex animo
hunc TIBI gratulor labore in publica disputantium arena exantlan-
dum. Gratulor ingenium elegantioribus gnauiter cultum litteris, & in-
defessa diligentia, quod auguror, adhuc magis perpoliendum. Gratulor
etiam Viro plurimum Reuerendo, PARENTI TWO, bonæ spei filium,
ob ipsam in DEV M pietatem, non infucatam, quod spero, ac morum
suauitatem, & mibi, & bonis omnibus carum; cuius salutem, uti sem-
per mibi habebo commendatissimam: ita ut læta semper tam diuinorum
virtutum, quam eruditionis utilioris sentiat incrementa, verbis conceptis-
simis ex animo appreco. TV autem, Respondens optime, vale & spar-
tam quam naētus es orna. Dabam Altonæ die V. Septembris Anno
M DCC XXXI.

Eheu!

XXXXIII

* * *

Eheu! fit sonitus; strepera cadit omne ruina:
Terra fremit, vasta fere sequor voragine sorbet,
Et strepitu horrisono tremefactas concutit aures,
Immanes moles, propulsa cacumina voluens.
Vasta quatit nunquam nudataque viscera, tecta
Conquassata ruunt, ruit urbis ad tartara missa.
Naturae attentus qui pandit claustra theatri,
Omne tulit punctum, quo non praestantius ullum.
Naturae effectum mirandum pectore voluens,
Sedulus euoluisse studes conamine docto
Ex causa effectus constet: velut optat

Amicus,

G. M. VOIGT. M. C.

Alton. Holsat. OPPONENS.

Gratulor. Officium sic explevisse putabam.
Gratulor atque Tibi prospera quæque precor.
Gratulor ingenium. Praeclaros gratulor ausus.
Gratulor hoc specimen. Gratulor ipse mihi.
Gratulor ipse mihi, qui Te venerabor amicum,
Cuius amicitia dulcissima est nihil.

LUDOVICVS SCHVTZE,

Lingg. SS. & S. Theol. cultor.

Pag. V. linea 24. pro magitu lege mugitu.





huius subsidio aër subito incensus flammam formauit
tar, sex pedes altam, quam cum extinxissent, per-
æ se dederunt, & quid factum esset, exposuerunt fo-
; qui rem adeo insolitam exploraturus, in fodenam
binis vicibus accendendo halitum fodenæ sulphureum,
ntum cepit. Ne vero incendium tam facile paran-
erum fraudi esset operarum pensis, aërem hunc apte
bi subsidio XII pedes extra fodenam prominente, e-
ui impetu semper æquali, iam tum, cum isthæc
anglia litteris mandarentur per triennium eruperat.
arte obstetricante, natura sibi aperuit spiraculum.

F I N I S.

LEIVS in libro floridor. p. m. 602.

*potest esse eadem festinata simul &
ata: nec esse quidquam omnium,
abeat & laudem diligentiae simul,
tiam celeritatis. Præbui me quo-
n voluntati, qui oppido voluerunt,
me desiderabantur.*



F ERV-

